EXIMIO VIRO D. LAURENTIO NICCOLINO PATRICIO FLORENTINO IN SACRO EQUESTRI...

Thomas ; de Cirelio

EXIMIO VIRO

D. LAVRENTIO NICCOLINIO

PATRICIO FLORENTINO
IN SACRO EQVESTRI ORDINE D. STEPHANI
EQVITI MERITISSIMO
PONTIS SACCI ET CAMVLIANI
MARCHIONI AMPLISSIMO
SACRAE CAESAREAE MAIESTATIS
ET REGIAE CELSITVDINIS
PETRI LEOPOLDI I. MAGNI ETRVR. DVCIS
CVBICVLARIO OPTIMO
SE SVASQVE THEOLOGICAS THESES
P. FR. THOMAS DE CIRELIO
ORDINIS MINORVM OBSERVANTIVM
IN COENORIO OMNIVM SANCTORVM FLORENTIAE
THEOLOGIAE LECTOR GENERALIS
IN OBSEQVENTIS GRATIQVE ANIMI MONVMENTVM
O. C. D.

Facta cuilibet argumentandi facultate.

Vani autem ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei.

Sap. 13. v. 1.

PRAEFATIO.

Jam Coelum, & Terra ex nihilo facta Dei Verbo conſtiterant; jam cuncta ſuis in Orbe aptata locis cum periodo moderabantur; jam Mundi totius ornatu completo, Sol, & Luna, Stellae & Aſtra lucentia rapido per immenſa Coelorum ſpatia ferebantur motu, germina ſua terra gignebat, ad aridam terrae faciem irrigandam flumina egrediebantur, & fontes, aves per aërem volitabant, gurgite in magno natabant piſces, & in ſylva, atque campeſtribus animantia bruta degebant; eam tandem Omnipotens Deus hominem, propter quem tantarum rerum molem condiderat, ſummo conſilio, ſapientia, opere, manu de limo terrae plaſmatum, anima ſpirituali donatam, innumeriſque divinis ſuffultam charismatibus, ut paulo minùs ab Angelis minoratus videretur, in hoc ipſo Mundo tamquam Dominum, & Magiſtrum repoſuit, numquam per mortem exterminandum, ſi Factoris ſui ſervare imperata in

accepta perſeveraſſet Juſtitia (1). *At quoniam ille, proh dolor! hea caſas! qui primus efformatus fuerat, Protopareas omnium Adam praeceptam ſimul, & jaſtè intentatas minas amuntiſſimi Domini ſui parvipendit, contempſitque per praevaricationem, ob mulieris eidem in ſociam datae amorem infauſtae plantae fructum vetitum comedendo; tunc primum mors intravit in Mundum, & in omnes homines, qui in illo uno peccarunt, mors ipſa dominata eſt* (2). *Moritur ergo homo, quia peccator, eſtque mors poenu peccati. Aſt dum per mortem homo diſſolvitur, & in pulverem ſuum, unde erat, revertitur, perit ne ſimul cum corpore Anima, aut a corpore diſjuncta adhuc perſeverat, & vivit? Perit, deſinit, moritur, evaneſcit, deſtruitur nuà cum corpore ſimul turba clamat impiorum, qui de ſuae nobilitate naturae pertaeſi ſimiles eſſe beſtiis gloriantur. Quid igitur poſt vitae hujus exceſſum, ſi meas humanu mortis obnoxia eſt, aut metuendum ſupereſt, aut ſperandum? Quà de cauſſa de Dominicae Incarnationis neceſſitate, de Sacramentorum virtute, de Gratia, de Praedeſtinatione, de Purgatorio, de Inferno, de Paradiſo, de Carnis Reſurrectione, deque extremo Judicio, tàm grandi labore, ardentique ſtudio inquirendum putavimus? Cur leges dantur hominibus, atque praecepta, ut beatè vivant, aeternam aufugiant miſeriam, ſuamque felicitatem conſequantur aeternam? Quum itaque Animi noſtri Immortalitas praecipuum Chriſtianae Religionis fundamentum ſit, earum praeſertim, quae alterum poſt hanc vitam reſpiciunt; dum de Mortuorum ſtatu inſtituitur controverſia, ipſo in limine*

Epi-

(1) Sap. 2. v. 25. (2) Rom. 5. v. 12.

Epicarei, Athei, Libertini primùm dejiciendi ſunt; ut ſic deinceps excelſa, quae inde, tamquam a fundamento bene conſtructa fabrica, Catholicarum veritatum exurgat congeries, adverſus Arianos, Eunomianos, Wicleſiſtas, Huſſitas, Albigenſes, Beguardos, Graecos, Armenos, Lutheranos, Calviniſtas, Zwinglianos, Marcionitas, Manichaeos, Millenarios, aliosque fides, & hominum iniquiſſimes peſtes, quos poſſim longa noſtra Diſputatio adverſarios patitur, jure meritoque valeat ipſa propugnare. Haec ſit agendi ratio, ut ſacroſaocta Religionis Dogmata contra refractarios ſarta, & tecta habeantur.

Porrò hanc meam digniſſimam prorſùs, atque perutilem Theologicam diſputationem Nominis tui celebritate, Religiosissime, et Eximie Vir, *optimo conſilio decorandam optavi. Traxit me namque excelſa tuae Gentis nobilitas immenſo gloriae ſplendore inſignita, eximiis Majorum tuorum imaginibus, ac geſtis renitens, Armis, Senatoriis Togis, Purpura ſacra, Proefecturis, Legationibus, Litteris undique commendatiſſima. Traxit Dignitas tua, erga Litterarum ſtudia fervens amor, ſedulitas in communem utilitatem, commiſeratio in pauperes, moderatio in proſperis, in adverſis conſtantia, modeſtia in honoribus, prudentia in agendo, juſtitia, pietas, Religio, caeterarumque nobiliſſimi Animi virtutum nitor, quibus Patrum tuorum non degener Nepos dignoſceris, & Florentinae Civitati non modicum addis ſplendorem. Traxit me denique, atque prae caeteris traxit illud, quod circa nos exercet Apoſtolici Syndici officium, quo ut Pater amantiſſimus Coenobium iſtud incredibili benignitate foves, protegis, tueris, cujus ut Diſpenſator fi-*

delu laudabili oeconomia Paupertatis patrimonia conſervas, diſtribuis, expendis; quod denique, & Ordinem ut Cultor verè devotus amore proſequeris, cumulas gratiis, ſuſtines labore. Hoc igitur publicum humillimi obſequii, & cultus in te noſtri argumentum, gratique Animi ſignificationem ea, quæ cordis devotione tibi ex debito exhibemus, humanitate benevolentiæ comite, Tu ipſe reſpicias, eamque acceptam habere non dedigneris. Novo hocce egomet cumulatus honore promptior, leviorque in arenam deſcendam, & tua confortatus præſentia, tuoque ſuffultus patrocinio optatam victoriæ palmam in certamine abripiam. Dicebam.

AR-

ARTICULUS I.

De Animae humanae Immortalitate.

I. ANimae humanae ſpiritualitate in praeſentiarum ſuppoſita, ejuſdem immortalitas triplici argumentorum genere adverſus pervicaces & ſuadetur, & demonſtratur.

II. Primò igitur Animae humanae immortalitas ita perſpicuè conſtat ex principiis fidei, ut eam inficiari, idem prorſus ſit, ac revelationem tollere.

III. Deinde omnium Gentium, Nationum, Populorumque conſenſus, quem adeſſe monſtramus in Animae immortalitatem, adèo venerabile argumentum eſt, ut hoc ipſo Libertinus impudens habeatur.

IV. Ex ipſa denique humana ratione talia deſumuntur argumenta ad Animae immortalitatem aſtruendam, quod indocibilis omninò ſit ille, & procax, qui eadem non veneratur, & recipit.

V. Si ergo Anima poſt mortem perſeverat, felicitatis profectò, aut miſeriae capax erit. Qua de re cum primum a corpore diſceſſerit, ad Dei tri-

Digitized by Google

tribunal ſiſtit, ut per definitivam ſententiam de factis ſuis recipiat vicem. Et hoc eſt, quod Judicium particulare appellamus.

VI. Quantam verò pro conditione ſtatus Animarum praemium redditur, vel poena, varia proinde ſunt animarum receptacula, Inferi, nimirum, & Paradiſus. De his ſingillatim dicemus.

ARTICULUS II.

De Inferno damnatorum.

VII. INferi nomine, graecè ἅδης, quilibet locus ſubterraneus, qui oculos latet, ſignificatur. Inferorum loca juxta variam animarum qualitatem, quatuor recenſentur, Limbus animarum Sanctorum veterum, Limbus parvulorum abſque remedio originalis culpae decedentium, Purgatorium, & Locus damnatorum, qui antonomaticè Infernus dicitur; Et hic eſt gehenna. De duobus primis actum eſt ſatis.

VIII. Hi ſunt Inferi, ad quos Chriſtus deſcendiſſe dicitur in Symbolo Fidei; & quidem Anima, atque praeſentia, non autem per effectus tantummodò, ut putavit Durandus, vel multò minùs eo ſenſu, quem impiè fingit Calvinus, quatenùs dolores Inferni ſuſtinuit in Paſſione; vel quia conditus in Sepulchro, ut Beza opinatus eſt.

IX. Infernum damnatorum, ſive gehennam, pro impiis in lethali culpa decedentibus conſtitutum,

tum, exiſtere, negarunt recentiores Haeretici nonnulli, cujus proindè exiſtentiam adverſus eoſdem demonſtramus, addentes, ipſum in inferioribus terrae partibus ſitum eſſe, & undequaque circumſcriptum, & clauſum.

X. Duo hic atrociſſima poenarum genera animae damnatae patiuntur, ſenſus, ut inquiunt, & damni; illa in ignis cruciatibus; iſta in Dei ſummi Boni amiſſione conſiſtit.

XI. Explotatum theorema haud eſt, neque ad fidem ſpectans, Inferni ignem materialem eſſe, & corporeum; diſputationis tamen gratia illum eſſe corporeum ſentimus.

XII. Sive autem corporeus, ſive metaphoricus ignis iſte dicatur, quo damnati, ac Daemones torquentur, perpetuus erit, & aeternus.

XIII. Animae damnatorum quouſque erunt corporibus exutae, ab igne torquentur per modum obligationis, ſeu detentionis localis, veluti in carcere; iterum per obligationem, & detentionem objectivam, quatenus per modum objecti ab illo cruciantur; clarius adhuc, torquentur ab igne non actione phyſica, ſed intentionali per triſtitiam, quam cauſat.

XIV. Poſt corporum vero reaſumptionem in generali reſurrectione damnati actione morali ſimul, & phyſica cruciabuntur.

XV. Hinc poſt Judicii diem licèt poena, & triſtitia eſſentialis eadem ſit futura, augebitur tamen dolor, & poena accidentalis.

XVI. Quantacumque autem ſint tormenta, quae damnati in Inferno patiuntur, neque hic tamen

omninò miſericordiae ſuae obliviſcitur Deus, eoſque infra demeritum, ſeu citra condignum punit.

XVII. Et quia in pondere, & menſura Deus reddit unicuique, non una erit omnibus damnatis poenarum quantitas; ſed inaequalis, & varia pro delictorum quantitate, ſeu atrocitate.

XVIII. Neque tamen erunt in Inferno poenarum, vel momentanea intervalla requiei, neque poenae ipſae unquam remittentur temporis ſucceſſu.

XIX. Cum tandem in Inferno nulla ſit redemptio; fabulantur, qui putant, nonnullos jam ſemel Inferni tudentibus adjudicatos, inde Sanctorum precibus eductos fuiſſe, & liberatos.

XX. Multò etiam magis decipiuntur, qui iniqua miſeratione ſenſerunt, inferni poenas tandem finem habituras aliquando, vel ſaltem pro iis, qui fidem non negarunt, vel ad minus pro iis, qui miſericordes in pauperes fuerunt. Omnes iſti ſunt contra fidem errores.

ARTICULUS III.

De Purgatorio.

XXI. PUrgatorium eſt locus quidam, in quo tanquam in carcere detinentur animae in gratia quidem conſtitutae, ſed inquinatae adhuc mundano aliquo pulvere delictorum, qui proinde diſcutiendus eſt ab igne, ut ſic purgatae in Coelum recipi mereantur.

XXII.

XXII. Purgatorium ſic acceptum quod revera exiſtat, Dogma eſt Catholicum.

XXIII. Ubinam Purgatorium reperiatur, definiri certo non poteſt, Communis autem Scholaſticorum, & Theologorum ſententia eſt, ipſum circa terrae centrum ſitum eſſe a Deo. Hinc Philonis, & Origenis opinatio, qui Purgatorium dixerunt conſcientiam accuſantem, & mordentem intra unumquemque noſtrum, nullo modo probanda eſt.

XXIV. Ex quibuſdam tamen revelationibus, Patrumque teſtimoniis comprobatur, extra communem purgationis Locum alia dari extraordinaria loca, in quibus, ſic Deo volente, Animae quaedam purgationem abſolvunt.

XXV. Poenae, quas in Purgatorio patiuntur Animae juſtae, excepta duratione, diverſae non ſunt a poenis damnatorum, habent namque poenam ignis, & Dei carent viſione.

XXVI. Praeter ignem, & Dei viſionis carentiam, nullum in Purgatorio extrinſecum tortorem recognoſcimus; unde dicimus, neque a Daemonibus; neque ab Angelis bonis animas ſanctas ibidem torqueri.

XXVII. Animae in Purgatorio exiſtentes non dubiae vivunt, aut ignarae de ſua ſalute, ſed certae omnino ſunt.

XXVIII. Quandiu ibi manſerint in tormentis, neque mereri poſſunt, neque demereri. Sua igitur Luthero relinquatur inſania.

XXIX. Pro iis tantum poſitum eſt Purgatorium, qui vel cum ſolis venialibus culpis deceſſunt, vel

cum

cum mortalium jam dimiſſorum reatibus quoad poenam in hoc Mundo minime deletis.

XXX. Conſtat ex fide Purgatorii durationem temporaneam eſſe, quanta autem haec ſit futura pro qualibet anima, certo tempore definiri non poteſt. Hoc unum firmiter eſt tenendum, non omnes animas ibi manſuras uſque ad diem Judicii.

XXXI. Non ſolum poſſunt animae Purgatorii pro ſeipſis ſatisfacere patiendo; ſed inſuper per Eccleſiae, et fidelium ſuffragia adjuvari, ſublevarique poſſunt, in tantum, ut citius perveniant ad Regnum; quidquid in contrarium blaterent recentiores, ac etiam veteres nonnulli Haeretici.

XXXII. Suffragii nomine ad omne ſignificatur, quo alteri auxilium preſtamus, & ſpirituale adjutorium. Inter haec ſuffragia primo loco venit Sacrificium Miſſae, deinde oratio, ac tandem opera quaelibet poenalia, et ſatisfactoria, cujusmodi ſunt elemoſyna, Jejunia, peregrinationes &c.

XXXIII. Ritum quoque, quem in ſepeliendis mortuorum cadaveribus ſervat Catholico-Romana Eccleſia, non eſt, cur reprehendant hujus temporis Haeretici tamquam ſuperſtitioſum, et vanum; eſt enim undequaque religioſus, & ſanctus.

ARTICULUS IV.

De Paradiſo.

XXXIV. PAradiſus idem eſt, ac locus voluptatis, deliciarumque. Modo ponitur ad ſigni-

ſignificandum Dei Regnum, Jeruſalem Coeleſtem, ubi Animae Sanctae clare, & intuitive Deum conſpicientes ſumma, & ineffabili jucunditate beantur.

XXXV. Ab exordio Mundi uſque ad Chriſtum Redemptorem nulla anima humana ingreſſa eſt Paradiſum. Clauſus namque per Adae peccatum, tunc primum reſeratus fuit, quando Jeſus Dei Filius in Ara Crucis expiravit.

XXXVI. Poſt illud vero tempus animae, quibus nihil ſupereſt luendum, ſtatim ac corpore ſolvuntur, beatifica Dei viſione donantur.

XXXVII. Hinc illi errarunt, qui docuerunt, animas omnes utcumque ſanctiſſimas, uno excepto Chriſto, tranſitorias fore per ignem, antequam ad Coeleſtem Patriam perducantur.

XXXVIII. Neque autem in ſolo actu intellectus; ſcilicet in ſola viſione, neque in ſola operatione voluntatis, hoc eſt in amore, ſed in viſione ſimul & in amore fruitivo formalem Sanctorum beatitudinem conſiſtere, probabilius cenſemus.

XXXIX. Ut intellectus creatus elevari poſſit ad Deum videndum requiritur lumen gloriae.

XXXX. Quod lumen nihil eſt aliud, quam qualitas quaedam in intellectu recepta, & quidem habitualiter permanens, a beatifico objecto diſtincta.

XXXXI. Intellectus ſic elevatus ad Deum videndum omnia ſimul videt, quae ad divinam Eſſentiam pertinent; videt deinde creaturas per Verbum conditas, Coelum, Terram caeteraque ad ordinem univerſi ſpectantia; videt tandem illius Beatae Societatis ſtatum. Ex iis, quae in terris geruntur, Beati ea tantum vident, quae ad eos ſpecialiter referuntur.

XXXXII. Neque ſupernaturaliter fieri poteſt, ut intellectus lumine gloriae adjutus unam videat in Divina Eſſentia Perſonam, altera non viſa.

XXXXIII. Esto in Coelis Divinum Objectum beati omnes clare intueantur, ipſorum tamen beatitudo non erit in omnibus aequalis, ſed vel augebitur, vel minuetur pro diverſitate meritorum.

XXXXIV. Haec Sanctorum beatitudo perfectior in omnibus futura eſt, hoc eſt, augebitur poſt generalem corporum reſurrectionem.

ARTICULUS V.

De Carnis Reſurrectione.

XXXXV. CORpora, quae nunc mortua ſub terris conduntur ſub terris manſura eſſe in aeternum, Philoſophi Gentiles, & Haeretici non pauci blaſphemant, Fides autem Catholica praedicat, ad novam rurſus vitam aliquando revocanda eſſe.

XXXXVI. Corporum huiuſmodi reſurrectionem definimus -- *Mutationem ſubſtantialem, qua res ſubſtantialiter corrupta numero eadem reparatur.*

XXXXVII. Ad hanc reſurrectionem quotquo ex carnali propagine olim ſunt nati, ac mortui, pertinebunt. Hinc falluntur, qui impios, foeminas, abortivos ab univerſae carnis exſpiunt reſurrectione.

XXXXVIII. Hi autem, qui vivi fuerint reperti in extremo die judicii, prius morientur, & poſtea redivivi apparebunt.

XXXXIX.

Digitized by Google

XXXIX. Corpora, quae reſurgent, diverſa non erunt ab his, quae morte diſſolvuntur; ſed cum iis omnibus partibus, quae ad illorum integritatem, & ornatum ſpectant, mortui homines excitabuntur.

L. Reſurgent autem in illa conſtitutione, ſeu habitudine corporis, quam habuiſſent, vel habuerant aetate 30. vel 33. annorum.

LI. Deformitates corporum, ſive quae ad ſubſtantiam pertinent, ſive etiam accidentales per reſurrectionem in electis penitùs tollentur. In reprobis verò, quae ſubſtantiam comitantur, auferentur quidem. De accidentalibus incertum dixit Auguſtinus in Enchirid., Aſt eas remanſuras putamus cum D. Bonav. diſt. 44. p. 1. quaeſt. 2.

ARTICULUS VI.

De Judicio Univerſali.

LII. PRaeter Judicium particulare (de quo N. V.) quod in morte fit uniuſcujuſque, Fides Catholica credit, univerſale quoque futurum, nimirum, poſt carnis univerſae reſurrectionem. Pertinet autem id ad Juſtitiam Dei, ejuſque Providentiam.

LIII. Judicium ſigna multa praecedent, multaque comitabuntur. Illa remota ad Judicium dicuntur, proxima iſta.

LIV. Ex ſignis variis, quae Judicium praecedent, duo tantum hic nobis expendere lubet, unum de Antichriſto, alterum de Enochio, & Elia. Dicimus itaque. LV.

Digitized by Google

LV. Antichriſtum metaphorico tantùm ſenſu haud eſſe accipiendum; neque hunc eſſe Romanum Pontificem, ut per ſummam calumniam effutiunt Haeretici, ſed quemdam certum, & ſingularem hominem extremis Mundi temporibus futurum.

LVI. Henochium, & Eliam nondum eſſe mortuos; quidquid in contrarium dicant noſtris etiam huſce temporibus Catholici nonnulli, ſed eos in ſecretiori loco a Deo naturaliter vivos ſervari ad hoc, ut cum Filio Diaboli diſceptentur, ab eoque poſtmodum occidendi.

LVII. Signa vero Judicio proxima, ſeu concomitantia clarè, & apertè deſcribuntur Matth. cap. 24. & Lucae cap. 21.

LVIII. Hiſce peractis, ultimò tandem Univerſus, terra, nempe, Coelum aqua, aer, caeteraque omnia renovanda ſunt per ignem, atque conflagranda.

LIX. Utcumque autem univerſus conflagrandus ſit per ignem, non tamen deſtruetur, ſed perſeverabit innovatus uſque in aeternum.

LX. Neque iis Interpretibus adhaerendum putamus, qui in Mundi conflagratione etiam Sydereos Coelos quoad formam ſubſtantialem docent, fore per ignem deſtruendos.

LXI. Neque ſ apſe evellendas eſſe de Coelo ſtellas ipſas, eaſque in terram caſuras, neque tandem penitus ceſſaturum Coelorum motum, & aeris ſubſtantiam deſtruendam, arbitramur.

LXII. Poſt haec, Angelo tubam canente, mortui omnes ſurgent e monumentis & in unum ſimul congregabuntur locum, qui univerſaliter creditur Vallis Joſaphat prope Jeruſalem. Et Signo Crucis

prae-

praemiſſo, Divinus Iudex Chriſtus Ieſus cum poteſtate magna, et majeſtate, Angelorumque ſplendido comitatu, tamquam fulgur, quod parat ab Oriente uſque ad Occidentem, illicò apparebit, & fiet judicium.

LXIII. In hoc Iudicio omnia, & ſingula hominum, Angelorumque opera, tam bona, quam mala; Electorum, atque reproborum in luce proferentur, ita ut unuſquiſque ſingulorum, & ſinguli unuſcujuſque abſque velamine conſcientiam videant.

LXIV. Praeter hanc claram manifeſtationem delictorum, qua reprobi maxima replebuntur confuſione, adſtunt quoque adverſus eoſdem validi accuſatores, conſcientia, ſcilicet, Angeli boni, & Electi, ac tandem Daemones.

LXV. Poſtremo Iudex ſententiam dicet ſuper bonos, & ſuper malos; illos ad Regnum ſtatim vocando, iſtos Tartari mancipando rudentibus: unde claudit Evangelium — Et ibunt hi in ignem aeternum; juſti autem in vitam aeternam.

LXVI. Si ergo ſtatim poſt reſurrectionem erit Judicium, poſtque Judicium omnibus & ſingulis aeterni, aut ſupplicii, aut premii redditio, inane conſequentur; & fictitium eſt illud mille annorum Regnum, quod Cerinthus, & Papias ſomniarunt, Sanctorum cum Chriſto in terris adfuturum.

LXVII. Magnum tamen eſt inter Cerinthi, & Papiae commentum, diſcrimen; Putavit namque ille regnum illud in corporis voluptatibus, carniſque deliciis totum conſiſtere; Iſte veto hujuſmodi impuras, & turpes voluptates non recognoſcit, & tantum puras, licitaſque concedit.

LXVIII.

LXVIII. Cerintho, & Papiae adhaeſerunt Tertullianus, Irenaeus, Juſtinus M., Nepos, Lactantius, Severus Sulpitius, aliique ex veteribus Patribus; Marcionitae, Apollinaritae, Lutherus tandem, & Calvinus. Hi omnes ſunt Millenarii, ſeu Chiliaſtae,

LXIX. Magnum quoque Auguſtinum in horum ſententia aliquando fuiſſe, vel ad eam valde inclinaſſe, fatetur ipſe lib. 20. de Civit. cap. 7., quam poſtea dimiſit. Neque eam ex animo non retractaſſe, evincunt, quae ſcribit Serm. 259. in pſ. 36., in Enchirid. cap. 109., lib. de Civit. cap. 12. & 13., Tract. 49. in Ioannem, ac demum lib. 2. Retract. cap. 14. Millenariis autem faviſſe Hilarium, ex iis quae docuit in pſ. 2., & in pſ. 122. 138. 144., neutiquam probatur.

LXX. Immerito etiam hujus erroris inſimulatur Ambroſius propter ea, quae habet in lib. de bono mortis cap. 7. & 10., & in 2. de Abel, & Cain cap. 2.

LXXI. Neque in hunc errorem trahi poteſt Chryſoſtomus, ſi probe intelligantur, quae dixit hom. 39. in Epiſt. ad Corinth. hom. 28. in Epiſt. ad Heb. hom. 52. in Matth., denique hom. de S. Philogonio.

LXXII. Poſtremo Bernardus, quem inurbane, & duriuſ infectatus eſt Dutandus, ab hac noxa immunis prorſus eſt. Nihil enim dicit Dogmati Catholico contrarium ſerm. 2., & 4. in Feſto Om. Sanctorum, neque ſerm. 52. nunc vero 87.

LXXIII. Negandum tamen non eſt ad Millenariorum ſententiam plurimum inclinaſſe Papam Joannem XXII. Numquam tamen de Pontificia authoritate eam definitam fecit, vel publicè docuit.

LXXIV.

LXXIV. Quid tandem de infantibus abſque remedio originalis culpae decedentibus poſt generale Judicium dicendum ſit, aperiamus. Duae hic ſunt Patrum, Theologorumque praecipue Sententiae. Una, quae docet, eos cum reprobis aeterno igne in Inferno cruciandos; Altera, quae contendit, illos quidem privandos aeterna Dei viſione omnique naturali beatitudine, ſed nulla ſenſus poena, aut vermis eſſe puniendos.

LXXV. Nos itaque ſentimus parvulos non baptizatos reapſe vocandos ad Judicium, in eoque judicandos ob paternum factum, & ad Inferos mittendos; ſed nullam aliam ibidem paſſuros poenam, praeter poenam damni.

F I N I S.

Diſputabuntur publicè in Eccleſia Omnium Sanctorum Florentiae, argumenta Adverſariorum diluente P. F. ALOYSIO A MATHILICA *Ord. ejuſdem Alumno; Cathedram moderante eodem qui ſupra. Die Aprilis An.* 1774.

FLORENTIAE X MDCCLXXIV.

Ex Typographia ALEIZZINIANA ſub ſigno Solis. *Praeſidum adprobatione.*

Google
99 934967